

## CLASSIS I.

## MAMMALIA.

Balatu Pecorum et crebris Mugitibus amnes  
Arentesque sonant ripae collesque supini.

VIRGIL. III. 554.

MAMMALIA haec et nulla alia mammata Animalia, ex structura, visceribus, organis homini proxima, pleraque *Quadrupeda*, nobiscum Continentem inhabitant, tanquam inter hostes atrocissimos, dum maxima pauca *Pinnata* intra Pelagum se subducunt.

VESTITUS Quadrupedum e *Pilis* flexilibus, mollissimis, distinctis, injuriae minus obnoxii; iisque fertilioribus in frigidis, quam aestuantibus terris. Hi vero *Pili* in *Aculeos* coaliti (*Erinaceo*, *Hystricibus*), aculei explanati in *Squamas* (*Mani*), squamae coadunatae in *Scutum* (*Dasyopodibus*); at pilorum vellus saepe distinctum *Suturis* (*Cani*, *Equo*), quae elongatae in *Jubam* (*Equo*, *Sui*); Sed Aquatica nuda evatere, ne maledicerent, nisi in terram exire aliquando necesse habeant. Praeterea Facies saepe *Verrucis* setiferis, *Labia Vibrissis*, *Mentum Barba* (*Homini*, *Simiae*, *Caprae*) et *Pedes* *Pectusque Callis*, (*Equo*, *Camelo*,) non raro notata sunt.

FULCRA, motus instrumenta, pro expeditiori fuga in evitando hostem, aut assequendo praedam, TERRESTRIBUS sunt *Pedes* *quatuor*, quorum anteriores *Palmis* instruuntur, interdum tanquam *Manus* remoto pollice divisae (*Primatibus*, *Didelphibus*); Posteriores autem *Plantis*, ut validius properarent, et hi vel *Palmati* digitis membrana conexis, ut natarent, vel *Fissi* digitis separatis, ut facilius current, aut *Talis* innixi, ut firmius persisterent (*Homini*, *Urso*): Ne vero fuga detererentur inter aspera, vel denso vellere manicati (*Lepori timido*, *Vulpi Lagopodi*, *Bradypodibus*), vel UNGULATI, *ungulis* tanquam calceolo digitum vestientibus (*Belluis*, *Pecoribus*), quibus saepe etiam *Tali succenturiatis* inclusi; at vero ferociora magis UNGICULATA *ungibus* digito superimpositis aristata armataque, ut praedam apprehenderent, adverfarium lacerarent, terramve foderent; his unguis plerumque subulati, arcuati; paucis manuleatis ovales, complanati; at vero rapaciores Ferae *ungibus* armatae subulatis; sed *Volantia* vel manibus elongatis palmatisque aera scandunt (*Vespertiliones*), vel membrana inter palmas plantasque expandenda velificant (*Lemur*, *Sciurus*).

*Sciurus*, Mus.) Aliter *AQUATICA*, unguibus ungulisque destituta s. *mutica*, quibus loco pedum pinnae pectorales, ex homoplate, humero, ulna, carpo, metacarpo et digitis conflatae (*Cetis*).

ARMA Mammalium praeter dictos *Ungues*, nominandosque *Dentes*, in primis *Cornua* cartilaginea capiti inferta sunt; haec vel *solida* perennia (*Rhinocerotis*), vel *ramosa* annua, primumque pilosa apice que crescentia (*Cervis*), vel *cava* vaginantia basique crescentia (*Bobus*, *Capris*, *Ovibus*), quibus adversarium occurvant, penetrant, verberant; sic eludunt hostem varie vel dimicando, mordendo, lacerando, calcitrando, feriendo, vel currendo, subfiliendo, scandendo, fodiendo, urinando, natando, volitando, vel foetendo, clamando, terrefaciendo.

CIBARIA instrumenta *Dentes* audiunt, qui triplices: *Primates* saepe compressi *Incisores* pro evellendo, rodendo, consciendendo; *Laniarii* conici longiores absque antagonista occurante pro lacerando; *Molares* latiores pro conterendo, et hi obtusi *phytiphagis*, acutiores *carnivoris*; at *edentula* solae *Myrmecophagae* et *Manes* evasere.

UMBRACULUM est *Cauda*, e vertebris dorsi multiplicatis postice elongata, qua turpissimae abscondentur partes; haec paucis *nulla* (*Homini*, *Simiis* et *Muribus* nonnullis), *abbreviata* nec femoribus longior (*Lepori*, *Satyro*, *Talpae*, *Erinaceo*), *elongata* ad pedum longitudinem et ultra (*Canibus*, *Muribus* etc.); harum singulae vel *Nudae* (*Muribus*) vel *Prehensiles* convolvenda proque quinta manu inferientes (*Simiis*, *Hystrici*, *Didelphibus*), vel *Comosae* longis fetis (*Equis*, *Bobus*), vel *Floccosae* apice penicilliformi (*Leoni* mari, *Dipodi* *Jaculo*), vel *Distichae* utrinque pilosae (*Sciuris*, *Myrmecophagae*).

CUSTODES Animalium *Sensus* sunt pro conservatione individui:

*Auriculae*, exceptis aquaticis, pro Auditu praestantiore: *rotundatae*, *ovatae*, *acutae*, *acuminatae*, *fissae*; *erectae*, *pendulae*.

*Oculi* *Pupilla* orbiculari diurnis, linearis expandenda vel perpendiculari vel transversali nocturnis. *Membrana nictitans* paucis. *Palpebrae mobiles* omnibus; utraeque ciliatae (*Homini Simiisque*), superiore tantum ciliata plerisque reliquis.

*Nasus* compressus, sinuus, resimus, aut bifidus, labiis brevior (*Simiis*), paulo longior (*Feris* plerisque), aut elongatus in *Proboscideum* (*Elephantis*); *Nares* ovatae aut orbiculatae.

*Lingua* simplex plerisque, denticulato-ciliata (*Canibus*), supra aculeata (*Felibus*), filiformis (*Manibus*, *Myrmecophagis*), bifida

fida (*Phocis*); *Labium superius* lacunosum plerisque, bifidum (*Gliribus*).

**GENITALIUM** curiosior indagatio displicet, quamvis varia et singularis Clitoride, Nymphis, Scroto, Pene, qui tamen posset ad ordinates naturales viam monstrare.

**VENERE** *Vaga* pruriunt pleraque, ubi Mares dimicant inter se, quod valentiores polleant pro sobole vivaciore, ineuentes feminas viviparas, foetum intra se excludentes, quem enixum lactant, defendunt, curant in proximas nuptias, adultioreme aetatem. *Polygama* autem nonnullis, ubi Mas gynaeceum ex plurimis feminis sibi associatis defendit (*Phocae*); paucissimis vero Monogamia est, dum Mas et Femina individui socii curam gerunt foetus (*Simiae nonnullae*, *Lemur*, *Vespertiliones*, *Erinaceus*).

**MAMMAE** lactantes Feminis omnibus, etiam Maribus (excepto Equo) numero determinato pares. *Pectorales* (*Primatibus*, *Cetis*); *Abdominales* (*Didelphibus*, *Phocis*); *Inguinales* (*Pecoribus*, *Belluis*); *Abdominales Pectoralesque simul* (*Gliribus pluribus*); *longitudinaliter digestae* (*Suibus aliisque*), at saepius binae pro lingulo foetu ordinario.

**USUS:** coluntur varia in primis Pecora ob *Carnes*, *Lac*, *Corium*, *Vellera*, *Pinguedinem*; ad *Onera* vero *Equus*, *Bos*, *Camelus*, *Elephas*; instituuntur Ferae variae pro *venatu*, *muribus*, *serpentibus*; Vivariis asservantur rariora.

**AUCTORES** praecedentis seculi **GESNERUS**, **ALDROVANDUS**, **JONSTONUS**, praesentis **RAJUS**, **BRISSON**, **HOUTTUYN**, **Comes de BUFFON**, **PENNANT**, **PALLAS**, **SCHREBER**, **KLEIN**, **CETTI**, **ERXLEBEN**, **BLUMENBACH**, **CAMPER**, **STORR**; Scientia ex ovo ordienda secundum eujuscunque Mammalis Descriptionem, Diaetam, Oeconomiam, ut ex historia fines Creatoris eruantur; vide Exempla de Cane domestico, Cervo Tarando, Mure Porcello, Sue Scrofa, Ove Ariete in *Amoenit. Academ.* propota.

ORDINES in primis a dentibus desumuntur:

MAMMALIA.	Unguiculata	Dentes	Primores nulli utrinque	BRUTA. 2.
			Primores incisores 2. Laniarius o.	GLARES. 4.
			Primores incisores 4. Laniarius i.	PRIMATES. 1.
			Primores conici (6, 2, 10) Laniarius I.	FERAE. 3.
	Ungulata		Primores superiores et inferiores.	BELLuae. 6.
			Primores superiores nulli	PECORA. 5.
	Mutica.	Dentes	varii in variis - -	CETE 7.

### I. PRIMATES.

Dentes primores incisores: superiores IV paralleli (exceptis tamen aliquot vespertilionum speciebus, quibus aut II tantum aut nulli sunt).  
Laniarii solitarii.

Mammae pectorales binae.

Pedes duo Manus sunt; Ungues (plerisque) complanati, ovales.

Victus incidendo fructus, paucis animalis.

### II. BRUTA.

Dentes primores nulli superius aut inferius.

Pedes unguibus validis.

Incessus ineptior.

Victus ut plurimum vegetabilis, comprimendo.

### III. FERAE.

Dentes primores conici utrinque saepius VI. Laniarii longiores. Molares cuspidato-conici (non truncati).

Pedes unguiculati: Ungibus subulatis.

Victus lacerando cadavera rapinasque animalium.

### IV. GLIRES.

Dentes primores incisores II superius inferiusque. Laniarii nulli.

Pedes unguiculati, cursu salientes.

Victus rodendo cortices, radices, vegetabilia etc.

### V. PECORA.

Dentes primores inferiores incisores plures; superiores nulli.

Pedes unguiculati bisulci.

Victus evellendo plantas ruminandas.

Ventriculi 4: Rumen macerans, ruminans; Reticulum cancellatum recipiens; Omasus multiplicatus consumens; Abomasus fasciatus, accidens coagulo pro sebo, ut minus alcalefcat.

B

VI. BEL-

## VI. BELLUAE.

Dentes primores obtusi.  
Pedes ungulati.  
Incessus gravis.  
Viētus extrahendo vegetabilia.

## VII. CETE.

Pedum loco Pinnae pectorales; cauda horizontalis (*plagiura*) plana.  
Ungues et pili nulli.  
Dentes aliis cartilaginei, aliis ossi. Nasus loco fistula, in calvariae  
parte anteriore et superiore.  
Viētus e Molluscis, Piscibus.  
Locus pelagicus.  
Hos a Piscibus divulsoſ jussi Mammalibus associari ob Cor biloculare  
calidum, Pulmones respirantes, Palpebras mobiles, Aures cavae,  
et aëris ope sonum percipientes, vertebras colli septem, lumbos et coc-  
cygem, Penem intrantem Feminam, Mammis laetantem, idque ex  
lege naturae jure meritoque.

CHA-